

liger abluat, et tunc demum piis laicorum manibus lavanda committat.

TITULUS XI.

DE COEMETERIIS, ET ECCLESIASTICA SEPULTURA.

Sancta Dei Ecclesia, quae nos vix in lucem editos maternis suscipit ulnis, ac per totam vitam sanae doctrinae pabulo et sacramentorum virtute fovet ac nutrit in vitam aeternam; etiam post obitum piam ac maternam sollicitudinem in nos impendit. Nam firma fide tenens et docens tum carnis resurrectionem et vitam aeternam, tum « purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari (Conc. Trid. sess. xxv. dec. *De Purgat.*), sancta et salubri cogitatione pro filiis suis defunctis exorat, ut a peccatis soluti, lucis perpetuae ingrediantur beatitudinem, » corpora autem, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus (S. Aug. *De civ. Dei*, lib. 1, c. 13) in terra, piis precibus sacrata, tamquam in loco dormitionis, spe gloriosae resurrectionis condit ac deponit.

Hanc tamen futurae resurrectionis expectationem, imo cuiusvis futurae vitae fidem ex animis tollere, et omnino, si possent, delere omni ope conantur, qui religionem respuunt; quod ut assequantur, in abolendam coemeteriorum nostrorum sanctitatem conspirant, ut omnis de medio tollatur distinctio inter eos, qui in pace Ecclesiae obierunt, et eos, qui extra sinum eiusdem. Nec desunt homines dubiae fidei, vel massonicae sectae addicti, qui contendunt, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates instituunt, ut sen-

sim imminuatur in fidelibus reverentia erga christianam, constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium suorum corpora humandi. (S. C. Supr. et Univ. Inquis. 19 Mart. 1886).

Nostri est igitur, necnon cleri totius, etiam hoc in certamine inimicorum tela refringere, ecclesiasticae disciplinae integritatem tueri et populorum fidem et religionem conservare ac promovere.

I. — Parochi ideo et concionatores diligenter doceant fideles, quatenus sit catholica doctrina de vita futura, de corporum resurrectione, de purgatorio, de efficacia suffragiorum, quae a viventibus fiunt pro defunctis, et demonstrent quantum et quale sit Ecclesiae ius ea ordinandi, quae ad filiorum suorum funera spectant, et quanta eam iniuria afficiat quisquis ausus fuerit eius leges de ecclesiastica sepultura deque funeribus celebrandis quomodolibet violare. Doceant etiam quae sit sanctitudo loci in quo corpora fidelium conduntur, vulgo *Campo santo* dictus, quaeque ei reverentia debeat adhiberi; illosque opportune moneant, praesertim si sciverint dolosis verbis incautos circumveniri, illicitum esse nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurrere poenas contra hanc latas; necnon vetitum esse mandare ut sua, aliorumve cadavera comburantur. (Id. id.).

II. — Coemeterium rite benedictum est locus sacer, ideoque ecclesiasticae iurisdictioni subiacet, etsi a civili potestate extruatur. Eius clavis a parochi tenenda est, vel a sacerdote cui coemeterii cura commissa fuerit, prout sacri canones praescribunt. Muro alto munitum esse debet, eiusque aditus cancellis vel ianua firma

praeccludatur, sera et clavi instructis, ne impiorum hominum flagitiis, aut profanis conventibus, pecorumve pastui pateat. In medio emineat crux, et ubi per facultates liceat, aut locus sufficiat, sacellum aedificetur in quo preces pro defunctis aliquando fieri possint, et Missae celebrari. Nisi aliud pro acatholicis exstructum fuerit, sit in ipso locus distinctus, et non benedictus, muro, aut saepe, aut saltem effossione a parte benedicta separatus, ubi sepeliantur non baptizati, et omnes quibus sepultura ecclesiastica deneganda sit.

III. Quum ecclesiastica sepultura sit aliquid sacrum, ius declarandi quibus danda vel deneganda sit, tum quoad locum, tum quoad ritum, ad Ecclesiae potestatem pertinet. « Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint » (Cap. *De Sepulturis*).

IV. — Tam quoad locum, quam quoad ritum seu funerale officium, non est deneganda nisi in sequentibus casibus, et quidem minime dubiis:

1. — Infidelibus quibuscumque, et pueris absque baptismo defunctis. — 2. Haereticis, et nominatim vel notorie excommunicatis, qui contumaces usque ad mortem permanserint: ceteris autem excommunicatis denegari poterit, servatis de iure servandis. — 3. Iis qui pertinaciter et notorie respuerunt Ecclesiae Sacramenta in supremo morbo. — 4. Morientibus in actu evidenter criminoso, quin signa poenitentiae dederint. — 5. Iis qui se ipsos occiderunt, si probabilis non habeatur ratio ad hunc desperationis actum amentia abreptos fuisse. — 6. Iis qui in duello certantes occisi fuerunt, vel

ex vulnere in certamine accepto, etiamsi confessi et reconciliati fuerint, prout mandavit Benedictus XIV, *sublata Episcopis interpretandi, et dispensandi facultate* (Cons. Detestabilem 10 Nov. 1753). — Concubinariis publicis, quales sunt qui civili tantum consortio copulati vixerunt, meretricibus publice notis, usurariis perditae famae, de quorum poenitentia non constat.

V. — Quoad ceteros peccatores publicos, qui catholicam fidem professi, non positive confiteri renuerunt, et improvisa morte oppressi sunt, cum possit praesumi eos fuisse contritos et voluisse confiteri, non videtur denegandam esse ecclesiasticam sepulturam.

VI. — Stante dubio an suicida mente compos fuerit, an impos, in loco sacro sepeliatur, seclusis tamen, propter scandalum, solitis funerum ritibus. Si tandem dubium occurrat, num quis semetipsum interfecerit, an casu, vel violenta manu percussus obierit, favendum est defuncto, cum in dubio delictum tam grave de nemine praesumi debeat. (Cap. II, *De Sepulturis*). Similiter in ceteris casibus cum in dubio odia sint restringenda, magis indulgentiae, quam severitati tribuendum est, praesertim quoad locum. Ut recte ac tuto procedant parochi, rem ad Episcopum vel ad Vicarium Generalem deferant, et si urgeat, ad Archipresbyterum recurrant.

VII. — Si vero sepulturam indigni in loco sacro nullo modo impedire possent ob violentiam factam, vel turbas excitatas, caveant primum parochi ne quid dicant, vel faciant, quo et ipsi ullo modo connivere videantur; deinde ad Episcopum negotium deferant, ut quid faciendum sit pro sua prudentia et auctoritate decernat. Si antequam responsionem accipiant, necesse

fuerit aliquem humari, eius locus seu fovea peculiariter benedicatur formula in Rituali praescripta.

VIII. — In funeribus celebrandis servetur omne ipsius Ritualis Romani praescriptum, et quidquid in Synodalibus Constitutionibus ordinatur, omnesque preces, quibus pia mater Ecclesia vult ut iuventur omnes filii eius, adhibeantur etiam in pauperum funeribus, quos sine illis humari nullo modo tolerandum est, quique a parochis gratis et honeste sepeliendi sunt.

IX. — Feretris laicorum, qui aliqua dignitate civili, vel militari honestati fuerunt, eiusdem dignitatis signa apponi licet. Signa vero cuiuslibet societatis ab Ecclesia damnatae, ulli feretro imponi, omnino interdiciamus. Si vero in ipso, vel in comitatu exhibeantur, clerus statim recedat.

X. — In omnibus locis in quibus christianus usus servatur deducendi cadavera, volumus ut parochi illum sartum tectum retineant; ubi vero in desuetudinem abiit, zelanter adlaborent ut instauretur, et omnia peragantur quae in Rituali Romano praescripta sunt, ne quasi pagano more fidelium cadavera absque redemptionis signo praeunte, et sacerdotibus vel sacerdote saltem orante, ad coemeterium deducantur. Hortentur fideles, instent parochi, et si a civili potestate defunctorum corpora in ecclesiam perducere vetetur, oportet, ut ad valvas saltem parochialis templi illa deferantur ad officium prout in Rituali peragendum, vel ut parochus cum clericis in ipsa defuncti domo hoc officium super cadaver persolvat.

XI. — Curent etiam parochi ut mundana pompa a funeribus arceatur, et fidelibus commendent ab ea abstinere, etsi solemnes voluerint exequias. Ad ea attendatur, quae vera suffragia constituunt, non ad quae

vanitatem et inutilem fastum redolent. Omnes hortentur ut cuncta caritatis officia erga defunctos exhibeant, sancta enim et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (2 Machab. XII, 46), et ad coelestem patriam quam primum perveniant, ubi pro vivis ardentissimo caritatis affectu constanter exorabunt, ut ipsorum societati tandem aggregentur.

Hactenus dicta valent unice de coemeteriis, quae uti loca sacra habentur et sunt, ideoque subsunt auctoritati ecclesiasticae. Verum quum in hac natione Mexicana haec observari nequeant, propterea quod iniuria temporum, propter leges actu vigentes coemeteria secularizata sint, sequentia statuere in Domino credimus:

I. — Parochi habeant librum ad decessus parochianorum adnotandos: elenchus enim mortuorum, diligenter exaratus, ut alia omittamus, quam maxime iuvat ad vitandas difficultates, quae occurrere solent, quando agitur de secundis nuptiis. Curabunt autem parochi, ut omnes, qui intra limites paroeciae e vita decedunt, in libro defunctorum appareant. Ad hoc exhortabuntur fideles, ut statim ac aliquis de eorum familia extremum spiritum ducat, ipsos certiores faciant. Ut hoc autem facilius obtineant, quasdam poterunt industrias adhibere, inter quas praecipue commendamus, ut singulis mensibus conficiatur elenchus intra decursum mensis defunctorum, et publicetur die dominica intra missarum solemnia, et postea affigatur ad valvas ecclesiae adhortando simul fideles, ut pro defunctis orent, et opus aliquod bonum peragant in ipsorum suffragium. Pro singulis autem adnotationibus, modicum honorarium exigi poterit, summam quinquaginta obolorum, (*centavos*) non excedens. Gratis vero id fiat, quando agitur de vere pauperibus.

II. — Exequiae defunctorum ad petitionem eorum, quorum interest fieri debent in ecclesia. In coemeterio autem sepulturae a paroco in particulari benedicantur toties quoties aliquis noviter sepeliatur. Quando vero ius stolae, pro tumulatione parochis competens, exsolvi minime possit ab iis quorum interest, quia verbi gratia pauperes omnino sunt, officium sepulturae gratis omnino perficiatur.

III. — Bonum et pium est pro defunctis exorare. Rogamus ergo parochos, ut visceribus misericordiae induti, mense Novembri iuxta Rituale Romanum aliquot pietatis opera in ipsorum suffragium peragant, per totum mensem vel saltem per aliquot dies.

IV. — Omnino prohibemus vigilias illas ad cadavera alicubi per abusum peragi solitas, vulgo *velorios* dictas, in eo sitas, ut praetextu assistentiae ad cadavera, coram defuncto ebrietati aliisque excessibus sese tradant fideles.

V. — Ubi coemeteria ad aliquam societatem particularem et catholicam pertinent, observentur omnes praescriptiones supra allatas, in coemeteriis catholicis observandas.

SECTIO V.

DE VITA CHRISTIANA

« Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est, ait Dominus noster Iesus Christus, ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me

manseritis » (Ioan, xv, 4, 5). Ex his verbis clare percipitur totam in eo esse christianam vitam, ut totis viribus et conatibus Christo adhaereamus, ut vitam communem cum illo habeamus. Unius quippe naturae sunt vitis, et palmites. Propter quod cum esset Deus cuius natura non sumus, factus est homo ut in illo esset vitis humana natura, cuius et nos homines palmites esse possemus (S. Aug. Tract. in Ioan.).

A Patre misericorditer praedestinati conformes fieri imaginis Filii sui summum studium vestrum sit in vita Iesu Christi meditanda: exemplum enim dedit vobis, ut quemadmodum ille fecit, ita et vos faciatis (Ioan. XIII, 15).

TITULUS I.

DE FIDE ET PIETATE CHRISTIANA.

Oportet homines viatores imprimis iam viam agnoscere, per quam ad finem recte et facile possint pervenire. Via autem ad Patrem, totius veritatis origo et aeternae nostrae summae felicitatis fons, Christus est; nam ille dixit: « Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me » (Ioan. XIV, 6). « Creditis in Deum et in me credite. Si cognovissetis me et Patrem meum utique cognovissetis. . . . qui videt me, videt et Patrem » (Ioan. XIV, 1, 7, 9). Propter quod Redemptor Dominus dum visibiliter in terris apparuit et cum hominibus conversari dignatus est, sive coram omnibus, sive familiariter, cum discipulis de Patre indesinenter loquebatur, ut nominis sui gloriam, et eius erga homines caritatem aeternam universo mundo revelaret. Pater. . . . manifestavi nomen tum hominibus, quos dedisti mihi de mundo (Ioan. XVII, 6). Et notum